Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

uenia omnium peccatorum meorum confidentiam et
possibilitatem donare digneris, ut hunc crudelem draconem
brachij tui munitus potentia et uirtute, fideliter et securus
aggrediar. Adiuro te ergo omnium immundissime spirito,
omne phantasma, omnis incursio Sathanæ, in nomine domi-
ni nostri Jhesu Christi, qui post lauacrum Jordanis in deser-
tum ductus in tuis te sedibus uicit, ut quem ille de limo
terre ad honorem formauit gloriæ suæ: tu desinas impugna-
re, et in homine miserabili non humanæ fragilitatis, sed
omnipotentis dei imaginem contremiscas. Cede ergo deo,
qui te humiliatum famulo suo Job in seruitutem redegit,
Cede deo, qui malignos spiritus, et malitiam eorum in Pha-
raone, et in eius exercitu per Moysen seruum suum dimersit
in abysum. Cede ergo ei, qui malignum spiritum per fide-
lissimum seruum suum Dauid de Saul rege spiritualibus
canticis pulsum fugauit: Cede deo: qui per Raphaelem
te crudelem demonem Asmodeum in deserto ligauit, Cede
deo, qui te per Danielem puerum suum in Baal perdidit, et
in dracone prostrauit. Cede deo, qui te in Juda traditore
damnauit, Ille te nunc diuinis uerberibus urgeat, in cuius
conspectu cum tuis legionibus tremens clamabas dicens, qd
nobis et tibi Jhesu fili Dei, uenisti ante tempus torquere
nos. Ille te flammis perpetuis urgeat, qui in fine temporu
dicturus es impijs: Ite maledicti in ignem æternum,
quem præparauit pater meus Diabolo et angelis eius.